

Pergamena 19

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 19

09-11-1389

+ In nomine Domini nostri Iesu Christi, anno Nativitatis Ipsijs millesimo trecentesimo octuagesimo nono, regnante serenissimo domino nostro domino Ladislao, Dei gratia rege Ierusalem et Sicilie, Ungarie Dalmatie Croatie Servie Bulgarie Cenomanieque Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comite, regnorum vero eius anno tertio. Die nona mensis novembris, tertiedecime indictionis Caiani, nos Thomasius Saracenus annalis iudex terre predictæ, Anellus Cantalupias de Neapoli puplicus in toto regno Sicilie regia auctoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripta puplico declaramus notum facimus et testamur quod predicto die constituta in nostri presentia Gisolda de Gauda de Potentia, uxor Nicolai de Castellucia, dictum de Bertiam de Caiani, asserente coram nobis se ipsa Gisolda habere tenere et possidere iusto titulo et bona fide nonnulla bona stabilia et terras in territorio dicte civitatis Potentie. Que quidem bona stabilia seu partem ipsorum bonorum expedit necessario ipsam Gisoldam vendere pro maritagio cuiusdam sue filie per eam et dictum Nicolaum virum suum noviter nuptialiter ductus subiuncto per eam in assertione predicta noviter fecisse tractatum habitum inter eam seu dictum Nicolaum virum suum cum egregio viro domino Antonio de Alicuta de Potentia dicto canoro, milite, de venditione medietatis pro indiviso omnium predictorum bonorum stabilium seu terrarum ipsius Gisolde positarum in territorio dicte civitatis Potentie, excepto de terris que dicuntur terre de la Tora, facienda domino Antonio supradicto et ad predicta non posse vacare bono modo, non posse propter loci distantiam et etiam distantia viarum que posset hiis turbatis temporibus incurrere. Idcirco ipsa Gisolda iure

Longobardo vivens, cum auctoritate Rezardi de Boffa de Caiano sui legitimi mundualdi per eam ad id electi et per curiam diete terre Caiani, in nostri presentia confirmati, sponte et voluntarie coram nobis confisa de fide et prudentia ac legalitate dicti Nicolai viri sui ipsum Nicolaum virum suum ibidem presentem volentem et honus presentis procurationis in se sponte et voluntarie suscipientem, fecit statuit et ordinavit suum verum legitimum et generalem procuratorem ac certum et indubitatum nuntium specialem ad conficienda se nomine et pro parte dicte constituentis apud dictam civitatem Potentie; et predicta omnia bona stabilita et terras alias dicte constituentis in territorio dicte civitatis Potentie positas, pro medietate tantum et pro indiviso, exceptis dictis terris predictis terris que dicuntur terre de la Tora, vendere alienare tradere et assignare corporaliter vel per fustem nomine et pro parte dicte constituentis prefato domino Antonio seu cuicumque alteri persone terras ipsas emere volenti se volentibus in totum vel in parte pro medietate tantum et pro indiviso, ut dictum est, pretio quo melius poterit meliori et ad faciendum seu fieri faciendum ipsius constituendis nomine et pro parte de venditione illarum tam ipsi domino Antonio quam quibuscumque aliis terras ipsas modo predicto emere volentibus, instrumenta puplica et alias sufficientes cautelas que plenum robur obtineant firmitatis. In quibus quidem instrumentis venditionum terrarum ipsarum faciendis seu fieri faciendis, predictum Nicolaum, virum et procuratorem suum, fieri debeat reservatio, sive pactum quod si dicta Gisolda constituens seu heredes sui aut prefatus [...] vel alia quecumque persona, nomine dicte Gisolde, voluerint dare, tradere et assignare pretium venditionis terrarum

ipsarum emptoribus ipsarum terrarum contrarium in venditionibus faciendis per ipsum procuratorem suum de terris ipsis pro medietate pro indiviso ut dictum est usque stilum ad annos duos completos numerando diem venditionis illarum in antea. Quod tam ipse dominus Antonius quam etiam alius emptor quicumque, teneantur recipere a dicta Gisolda seu eius heredibus vela dieto Nicolao viro et procuratore suo vel alia quacumque persona pro ea et suis heredibus pretium supradictum et restituere eidem Gisolde vel suis heredibus aut dicto eius viro et procuratori vel alteri pro ea terras ipsas. In casu vero quod dicta Gisolda seu eius heredes vel predictus Nicolaus procurator suus aut alius pro ea in dicto termino vel infra quocumque pretium ipsarum terrarum ipsis emptoribus solvere ac reddere non curaretur, quod terre ipse, elapso ipso termino, remaneant in domino et proprietate ipsorum emptorum et eorum heredum. Ita quidem quod dictus dominus Antonius seu quicumque emptor ipsarum terrarum teneantur et debeant anno quolibet laborare seu laborari facere terras ipsas pro medietate et pro indiviso eis vendendas ac dare et tradere et assignare eidem Gisolde seu alii pro parte sua terragia consueta annis singulis de illis videlicet seminibus seminandis in terris suis predictis. Pretium vero ipsarum terrarum recipiendum per ipsum Nicolaum virum et procuratorem suum, dictus Nicolaus vir suus possit et debeat ipsius constituentis nomine et pro parte recipere recolligere et habere ab emptoribus ipsis et pretium illis facere instrumenta et alias cautelas quascumque penarum et sacramento ac oportunis omnibus roborata. Et generaliter et specialiter ad faciendum gerendum et exercendum omnia alla et singula que necessaria fuerint in premissis et circa premissa et etiam oportuna

et que quilibet verus et legitimus procurator facere potest et debet et que [...] constituens facere posset et deberet ac si premissa personaliter interesset etiam si talia fuerint que mandatum exigant speciale. Promittens fideiubens ac se solemniter obligans dictum constituens, cum auctoritate qua supra, cum iuramento prestito per ipsam constituentem in manibus mei predicto notario recipiente sacramentum ipsum ab ea pro parte omnium quorum partium interest et poterit interesse. Servatum gratum et firmum habere tenere, tenens totum et quicquid per prefatum Nicolaum virum et procuratorem suo seu substituendum ab eo, quem possit substituere omnia remissa omnia et singula vigore presentis procuracionis in premissis et quodlibet premissorum, actum gestum fuerit et etiam procuratum, michi predicto notario puplico pro parte omnium quorum interest et interesse possit et poterit solemniter stipulatum; ut autem in premissis fides possit plenaria adhiberi confectum est exinde ad cautelas omnium quorum et cuius interest et poterit interesse, presens puplicum procuracionis instrumentum signo meo solito signatum, subscriptione mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Quod scripsi ego predictus notarius Anellus qui predictis omnibus rogatus interfui ipsumque meo solito signo signavi, ac interviregulavi superius ubi legitur civitatis, non vitio sed errore scribendi.

2

+ Ego Thomasius Saracenus qui supra Caiani interfui. + Ego Angelus Phisicus de Caiano in medicinali scientia professor testis interfui et me subscripsi. + Ego Borrillus Nell'interlinea.

Cantilupus testis sum. + Ego notarius Iacobus Pettinatus
de Caiano testis interfui et me subscripsi. + Ego Rogerius
Columpnus de Caiano testis sum. + Ego Robertus
Columpnus de Caiano testis sum. + Ego Nicolaus
Saracenus de Caiano testis sum.